ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio
Eq. Zulichemi Domino C. Barlaeus S.P.D.

Nobilissime Hugeni,
mitto Tibi exemplar Methodi, quam rogatus praescripsi
Ducum Megapolensium studijs. Ea Germanorum indoles est,
amant et efflagitant methodos, quia artem longam
esse prudenter judicant. Ideo student compendijs, et integras
artes non addiscere sensim, sed devorare cupiunt, quas Dij
non nisi magnis laboribus vendunt. Non volo haec Te
legere. Legat Constantinus tuus, qui licet Megapolensium
Dux non sit, Dux tamen est sui ordinis, hoc est fratrum,
inter quos πρεσβεύει. Est iam Delphis amatorum Tessela
facta pila, cuius soror Anna te vitri stupenda inscriptione
beavit. Ego meum expecto, cum hoc elogio, Ungula vatum.
Percussis enim a Liberi patris Lyncibus, ut a Pegasi
ungula Parnaso, scaturiunt uberius poetis carminum
fontes. Tu, ut audio, ad castra et bella abis. eventus
prosperrimos precor, ut et patriae, debentur. Vellem glorioso
Marte, magnis commodis, at pauco sanguine juvari
posse Rempublicam, et incruentis sacrificijs redimi
Foederatorum libertatem. Hic terrae motu quassatae
aedes et in aedibus supellex mira portendunt. Porrexit
se σεισμος iste Coloniam usque et ultra. Quae causa?
an quia aperta verni caloris vi telluri et in
vapores resoluta, supervenit nuperum gelu, egressumque
vaporibus praeclusit, qui exitum molientes terram
magnis occultisque insultibus concussere? an quia
novam orbis Europaei concussionem minantur fata?
Tu rerum divinarum et humanarum conscius, indica.
Raptim in aedibus nobilissimi Vicofortij. Vale
amicorum coronidem Tesselam meis ac tuis
verbis saluta. Amstel. XIII April. CIƆIƆCXL.

B

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 138
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2341

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 138
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2341

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 138
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2341

Nobiliſſimo viro D. Conſtantino
Hugenio, Eq. Zulichemi Domino,
Celſiſſimo Principi Auriaco
a ſecretis et conſiliis.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 138
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2341